




Ræparanda fuerit Tabula quæpiam orbicularis, spissa, planissimæq; superficiei, magnitudinis sanè eiusdem, aut penè eiusdem cum priore illa circulari, hoc est, signiferi Aequinoctialis tabula, in cuius postea medio, equidem diligenter centrum inquirendum, quo super, circino ducente, describe omnes omnino circulos, quemadmodum præceptum est fieri in fabrica posticæ, liue dorfi Astrolabij. Qui deinceps circuli duobus ortho-



gonicos, id est, æque angulariter, eodem in centro sese interfecantibus diametris, in quatuor æqualia, subinde spatia partiantur, & eadem intersectio eiusdem iam dictæ rotulæ centrū tibi apertissimè demonstrabit. Quibus ita habitis, diuide eandem eclipticæ rotulam, & inscribe omnia sicut posita superius figura planissimè te docet, & sicut etiam de postica Astrolabij præcipitur.

Quia uero eclipticæ rotula correspondere debet cœlesti eclipticæ, necessario utiq; duæ tabulæ, ut uocant, mensales faciendæ ueniunt, quæ eandem eclipticæ tabulam ab Aequinoctiali signifero, ad maximam Solis obliquationem, declinent, quatenus principium Cancrī in eminentia constitutum uideatur, principium uero Capricornī in imo iacere cognoscatur, iuxta eclipticæ cœlestis uerissimum situm. Fiunt autem prædictæ tabulæ in hunc, qui sequitur, modum: Duc quopiam in loco plano, circumferentiam quandam, unā cum diuisionibus suis, quemadmodum in primo dogmate sufficienter disputatum est. Deinde pone unam regulæ extremitatem directe super loco 90 graduum, id est, ad læuam, ubi diametrus eandem circumferentiam attingit. Reliquam uero regulæ extremitatem dirige recte ad maximam Solis declinationem, quæ reperitur tempestate nostra 23 graduum, 30 minutorum, ducente lineam rectam. Hinc quicquid extra hasce duas apparuerit lineas rectas, penitus abijce, & sic uere habebis illas, quas uocant, Mensales tabulas. Huius accipe hanc formationem.

Porro